

est solum sententiæ ferendæ, ut si dicat: « Excommunicabitur, officio, seu voce activa et passiva privabitur, » et hujusmodi. *Communis* cum Farinacio, *loc. cit.*, n. 63; Reiffenstuel, lib. 1 *Decretal.*, tit. 2, n. 210; arg. Clementin. *Sæpe*, verb. *Irritandus*, *De verb. significat.*, ubi verbum illud *irritandus* expresse opponitur verbo *irritus*, quod importat nullitatem actus ipso jure.

31. Quarta regula est, quod quando lex utitur verbis imperativi modi, quæ non efficiunt immediate ipsam pœnam, sed ipsam actionem judicis, ut si dicat: « Excommunicetur, privetur voce activa et passiva, » et hujusmodi, tunc est solum sententiæ ferendæ: nisi tamen addatur alia particula importans pœnam latæ sententiæ; Farinac., *loc. cit.*, n. 63; Herinex, part. II, disput. 5, *De legibus*, n. 5; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 211, et alii passim. 32. An autem quando lex utitur verbis imperativi modi, quæ afficiunt immediate ipsam pœnam, ut si dicat: « Sit excommunicatus, anathema sit, sententiam excommunicationis incurrat, subiaceat excommunicationi, seu interdicto, » et hujusmodi, sit latæ sententiæ, vel ferendæ, variant doctores. Multi enim volunt quod per dicta et similia verba importetur pœna latæ sententiæ; arg. c. *Et si pignorationes 1*, *De injuriis*, in 6, et ibi *Glossa* in fine, ubi notatur quod ly *sententiam excommunicationis incurrat*, et ly *subiaceat interdicto* pœnam latæ sententiæ importet. Sic notat etiam Abbas in cap. *Quia in omnibus de usuris*, n. 9. Et ita etiam verba illa: « Anathematis vinculo subiaceat, » in cap. *Si quis suadente 24*, caus. 17, quæst. 4, volunt plures quod importent pœnam latæ sententiæ; et quod ly *sit anathema*, importet pœnam latæ sententiæ docet Felinus in c. *Rodolphus*, *De rescriptis*, n. 33, post *Glossam* in cap. *Guilsarius 23*, qu. 4. Et id ostendunt doctores hujus opinionis ex conciliis generalibus, et præsertim ex Tridentino, quod contra quemcunque de definitionibus fidei a se factis contrarium sentiat, absolute pronuntiat *anathema sit*, id est *sit ipso facto excommunicatus*.

33. Plurimi tamen alii tenent quod dicta, et similia verba, de se importent solum sententiam ferendam, et non sententiam latam, nisi alia adjecta verba, vel jura id declarent. Sic Navarr., c. 16 *Manual.*, n. 22, ubi ex professo docet quod hæc verba *sit excommunicatus*, non denotent sententiam latam, sed ferendam, nisi cum alia adjecta verba, vel jura id declarent. Idem tenet Sanch. lib. VII *De matrim.*, disput. 12, n. 2, et post Baldum in cap. *At si clerici*, n. 20, *De judiciis*, et alios, docens quod ly *Excommunicatus, anathema sit*, non continet sententiam latæ excommunicationis, nisi hæc aliunde habeatur. Idem docet Layman., lib. I, tract. 6, part. I, n. 3; Herinex par. II, disp. 5, *De legibus*, n. 7; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 15, et alii. Quinimo licet Abbas, cap. 2, n. 13, *De foro competent.*, post *Glossam* in cap. *Quicumque*, verb. *Innodetur*, *De hæretic.*, in 6, et quosdam alios tenent per hæc verba

Sit excommunicatus, innodatus, et hujusmodi, significari excommunicationem ipso facto, illico tamen addi, ob jura in oppositum pugnantia, hujusmodi verba esse intelligenda juxta subjectam materiam, nec continere latam sententiam, quando per alia jura patet quod non inferatur sententia ipso facto. Et ratio hujus opinionis est, quia plurimi canones habent illa verba: *Anathema sit*: et tamen continent solummodo sententiam ferendam, juxta *Glossam* final. cap. 2, *De foro competent.* Quæ etiam censet in simili, verba illa, *Ab Ecclesia Dei sit sequestratus*, significare sententiam ferendam. Tum quia verbum *sit* est futuri temporis, et potest commode explicari per ly *Fiat excommunicatus*, prout *Glos. final.* in c. *Si quis ex clericis*, *De vita et honestat. cleric.* explicat ly *Anathema sit*, dicens: « hoc est fiat; non enim est excommunicatus ipso jure. » Et sic explicanda esse dicit Laym., *loc. cit.*, ista verba, « excommunicatus sit, anathema sit, qua præcipiatur judicis ut ab ipso criminosis excommunicatus fiat. » Unde per similia verba non videtur ferri sententia ipso jure, seu ipso facto, nisi aliquid aliud addatur, v. g. « ipso facto sit excommunicatus, ipso jure sit suspensus, ipso jure innodatus existat, » et hujusmodi. Tum etiam quia dicta verba, et similia, ut liquet ex ipsa doctorum varietate sentiendi, et ex allatis rationibus, dubia sunt, an contineant sententiam latam, vel solum ferendam: atqui quoties dubium est, an verba legis contineant sententiam latam, vel ferendam, tunc censendum est quod contineant solum sententiam ferendam, ut tenet *Communis*, per jura adducta sub n. 28, ergo, etc. Tum tandem quia, si conditor legis voluisset præfata et similia verba esse intelligenda de sententia lata, cum potuisset exprimere, expressisset; arg. cap. *Inter corporalia 2*, *De translation. episcop.* § *Sed neque istud*, c. *Quia circa 22*, *De privilegiis*, et cap. *Ad audiendam 12*, *De decimis*.

34. Ad auctoritates pro prima opinione adductas, præsertim ex cap. *Si quis suadente 29*, caus. 17, qu. 4, ubi verba illa: *Anathematis vinculo subiaceat*, intelliguntur communiter de sententia lata; respondetur quod in tantum ibi sic intelliguntur, quia verba immediate sequentia, quibus ibidem absolute reservatur Papæ, et plures alii sacri canones clare significant excommunicationem ob injectas manus violentas in clericum, esse latæ sententiæ. Et ad illud de conciliis generalibus, et signanter in concilio Trident. ubi ly *Anathema sit*, contra hæreticos, seu contra sentientes contrarium de definitionibus fidei ab ipso concilio factis, fulminatum, importat sententiam latam. Respondetur quod ibi de tali sententia lata sic intelligitur, quia hæretici ipsomet jure jamdudum fuerant excommunicati excommunicatione latæ sententiæ, ut patet in cap. *Achatius 1*, et in cap. *Majores 2*, caus. 24, quæst. 1, cum similibus. Unde ob hujusmodi instantias notanter in conclusione posita sub n. 33, additum fuit; verba illa non

denotare sententiam latam, sed ferendam, « nisi alia adjecta verba, vel jura id declarent; » prout accidit in allatis exemplis de cap. *Suadente*, et de concilio Tridentino, et de aliis similibus, quæ possunt afferri; sic fere litteraliter Reiffenstuel *loc. cit.*, n. 26.

35. Quinta regula est, quod quando lex utitur verbis, quæ nullam dilationem temporis admittunt, v. g. *mox, statim, illico, ex tunc, ipso facto*, et hujusmodi, tunc est latæ sententiæ. Item lex latæ sententiæ est, quando legislator, sibi, vel legi suæ adscribit sententiam, dicens, v. gr.: « Auctoritate nostra; Virtute præsentium, ipso jure subiaceat tali pœnæ. » Item lex latæ sententiæ est, quando utitur verbis indicativi modi, præsentis, vel præteriti temporis, dicendo, v. gr.: « Excommunicamus, suspendimus, interdicens, sciat se esse excommunicatum, sciat se excommunicationem incurrisse, noverit suspensionem, interdictum, seu excommunicationem se incurrisse, » et hujusmodi; Farin., *cit. part. II Fragment.*, verb. *Lex*, n. 74; Cardin. Tuschus, *lit. P.*, conclus. 719, n. 16; Herinex, *loc. cit.*, n. 7; Layman., *loc. cit.*, n. 3; Suarez, lib. V. *De legib.*, c. 6, et alii passim.

36. Lex pœnalis sententiæ ferendæ non obligat ante sententiam judicis. *Communis*. Reus enim non obligatur ad amplius quam lex ipsi imponit; lex autem ferendæ sententiæ solum imponit reo, ut pœnam subeat postquam ad ipsam per sententiam judicis fuerit condemnatus, adeoque lex pœnalis sententiæ ferendæ non obligat ante sententiam judicis.

37. Lex pœnalis latæ sententiæ in iis, quæ aliam executionem externam non requirunt (v. gr. in censuris latæ sententiæ, in irregularitatibus, impedimentis matrimonii, et hujusmodi), obligat in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis. Sic Suar., lib. V *De legibus*, cap. 5; Sanch., lib. *De matrim.*, disput. 27, n. 2, et disp. 30, n. 2; Reiffenstuel lib. I *Decretal.*, tit. 2, n. 226; Engel, *ibidem*, n. 43; Mastrius, *Theol. moral.*, disp. 2, quæst. 5, artic. 3, cum Cajetan., Bannez, Medina, Valentia, ab ipso citatis; Castropal., par. I, tract. 3, disput. 2, punct. 2, n. 1, et alii passim. Et ratio est, quia valde expedit ut Ecclesia, ad augendum spiritualem fidelium profectum, utatur non solum pœnis in foro externo infligendis, sed etiam pœnis in foro interno illico incurrendis ob peccata etiam occulta, ut hac ratione ipsi fideles magis magisque retrahantur; et hoc patet ex pluribus sacris canonibus, in cap. enim *Si quis suadente 29*, caus. 17, quæst. 4. Excommunicatio lata in percussores clericorum et monachorum incurritur ipso facto, et idem est de aliis censuris ecclesiasticis ipso jure latis; cap. *Cum desideres 15*, *De sentent. excommunic.*, cap. *Illud Dominus*, et sequen. *De cleric. excommunicat. ministrant.*, et alibi, et idem est de irregularitate, cap. ult. *De temporibus ordinat.* et cap. *Presbyterum* ac sequen. *De homic.*, et idem est de impedimentis matrimonii, ut de affinitate ex copula illicita, impedimento

criminis, et hujusmodi, quæ ipso facto oriuntur, quamvis crimina sint occulta.

38. Lex pœnalis latæ sententiæ in iis, quæ externam executionem requirunt (v. gr. est amissio domini, confiscatio bonorum, privatio beneficii, aut officii ecclesiastici, aut privationis alicujus rei propriæ, etiam acquisitæ, et hujusmodi), non obligat in conscientia ante judicis sententiam declaratoriam de crimine commisso, nisi lex in specie addat clausulam, *alia etiam declaratione non secuta*. Sic Menochius, *De arbitrar. judic.*, casu 416, n. 2; Sanch., lib. II, in *Decalog.*, cap. 27, n. 7; Silvest., verb. *Hæresis*, I, n. 31; Navarr., tom. II *Comment. de datis et promissis*, notab. 31, n. 44; Reiffenstuel, lib. I *Decret.*, tit. 2, n. 27; Engel, *ibid.*, n. 45; Laym., lib. I, tract. 4., cap. 15, n. 6; Mendo, verb. *Lex*, n. 31; Felix Potestas, tom. I, par. V, n. 180; Mastrius, *loc. cit.*; Herinex, disput. 5, qu. 2; Kazenberger in *supplem. Theol. moral. Patr. Sporer.*, cap. 1, sec. 3, qu. 5, n. 265; Sylvius in *Resol. variis*, par. I, verb. *Beneficium*, cas. 5; Illung, tom. I, dist. 2, n. 73; La Croix, lib. I, tract. 2, cap. 1, dub. 2, n. 612, ubi citat Granad., Molin., Covarruv., Vasq., Lezan., Less., Suarez, et alios; et plures alii apud Leuren., par. II, quæst. 288, Farinac., par. II *Fragment.*, verb. *Lex*, num. 158, et alii: argum. cap. *Cum secundum 19*, *De hæreticis* in 6, ubi, quamvis bona hæreticorum decernantur ipso jure confiscata, tamen ipsi non illico in conscientia obligantur bona sua tradere fisco; imo ibi Bonifacius VIII, conditor illius decretalis, expresse prohibet fieri dictæ confiscationis executionem, seu bonorum occupationem, ante sententiam declaratoriam judicis ecclesiastici super crimine hæresis commisso; adeoque idem est dicendum de aliis similibus legibus pœnalibus externam executionem requirentibus, cum de similibus idem iudicium sit habendum, capit. *Inter corporalia 7*, *De translation. episcop.* Et ratio est clara, quia lex debet esse possibilis moraliter observata, ac secundum naturam humanam, scilicet naturæ humanæ accommodata, c. *Erit autem lex 2*, dist. 4. Est autem ab hominum natura et moribus alienum, ut quis seipsum ante omnem judicis sententiam, etiam declaratoriam, in conscientia spoliare debeat rebus jam possessis, aut juribus acquisitis, cum sic delinquens teneretur suum occultum delictum propalare, seipsum infamare, et condemnare, quod esset naturæ humanæ durissimum, adeoque, etc.

39. Imo Illung, tom. I, disp. 2, n. 72, universaliter concludit quod, quamvis legi addatur clausula *ipso facto ante declarationem*, tamen de facto nulla datur lex pœnalis, quæ nulla præmissa judicis sententia denuntiant vel pœnam, vel crimen, obliget, exceptis legibus statutibus censurarum ecclesiasticarum, irregularitatem, reservationem absolutionis, impedimentum criminis in matrimonio, privationem petendi debitum conjugale ratione incestus intra secundum gradum, privationem fructuum ob neglectas

Horas. Et idem tenent Dominicus Soto, l. 1, *De justit.*, qu. 6, art. 6; Covarruv., *De matrim.*, part. II, cap. 6, § 8, n. 9 et 13; Henricus, *De excommunic.*, cap. 16; Paulus Mezgor, tract. VIII, disp. 33, art. 2, n. 4; Lessius, lib. II, *De justitia*, cap. 29, dubitat. 8, n. 63; et ipso teste, multi alii recentiores; Herincx, l. c., n. 14; Kazenberg, l. c., n. 267, et alii, qui docent, quod si lex dicat: « ipso facto absque alia declaratione, seu nulla declaratione præmissa, vel nulla alia declaratione expectata, » et hujusmodi; tales clausulas esse intelligendas de declaratione, qua declaretur pœnam esse incursum, non autem qua declaretur crimen commissum; id est intelligendæ sunt de declaratione pœnæ, non negata declaratione criminis. Et quamvis hæc expositio videri posset non parum torta et violenta, et minus congruens menti legislatoris, et ideo rejiciatur a Suarez et pluribus aliis, illam tamen confirmat usus, ut dicunt Lessius, Herincx, Kazenberg, loc. cit., et alii; ex quo usu constat non teneri reos, seu possessores se abdicare bonis, vel officiis ante declarationem criminis, quamvis leges pœnales dicant pœnam incurendam esse ipso facto absque alia declaratione, quia, licet prima legislatoris mens fuisset alia, non equidem obligaret ex hoc capite; cum similes leges non videantur receptæ in illo rigore, ut sponte teneatur se reus spoliare, sed potius est eis per contrariam consuetudinem in hac parte derogatum, et praxis habet, ut nulla alia pœna proprie dicta (qualis est privatio alicujus rei jam ceptæ possideri, vel alicujus juris quæsiti) incuratur ante sententiam declaratoriam criminis, ut post Farinac. et alios asserit Castropal., disp. 2, punct. 2, n. 12; Kazenberg, loc. cit., adeo ut nullatenus alioquin possit mandari executioni; Reiffenstuel, loc. cit., n. 233, cum aliis ibi citatis. (40. Declaratoria autem requirit citationem partis, teste Julio Claro, et Reiffenst., loc. cit., n. 234; et ab ea dari potest appellatio, ut docet Farinacius, et alii apud Kazenberg, loc. cit., n. 267, in fine.

(41. Dices, si lex pœnalis latæ sententiæ in iis quæ externam executionem requirunt, non obligat in conscientia ante iudicis sententiam, juxta dicta supra n. 38; ergo nulla erit differentia inter legem pœnalem latæ sententiæ, et legem pœnalem sententiæ ferendæ, cum in utraque ad inducendam obligationem æque requiratur sententia iudicis. Respondetur negando sequelam cum sua probatione; adest enim inter ipsas sua vera et realis differentia; nam pro incurrenda pœna legis pœnalis ferendæ sententiæ, requiritur sententia condemnatoria iudicis, et talis pœna debetur solum a tempore latæ sententiæ; pro incurrenda autem pœna legis pœnalis latæ sententiæ, nullimode requiritur sententia condemnatoria, sed sufficit sola sententia declaratoria iudicis super admissio crimine; et hæc pœna debetur non solum a die latæ hujus sententiæ declaratoriæ super admissio crimine, sed etiam a die perpetrati delicti, cui pœna a jure imposita fuit, cum per juris fictionem ad tale tempus retrahatur

sententia declaratoria; quod non verificatur de sententia condemnatoria. (42. Sententia enim condemnatoria cadit supra pœnam, quæ cum sit sententiæ ferendæ, non incipit currere, nisi a die hujus latæ sententiæ. Sententia vero declaratoria cadit supra culpam, cui cum a jure fuerit imposita pœna statim ac fuerit commissa, statim ac habita declaratione de tali culpa commissa, incipit currere a die talis commissionis, seu perpe- trationis. Reiffenstuel, loc. cit., n. 230 et seq., cum aliis ibi citatis; Kazenberg, loc. cit., n. 260, et alii.

(43. Instabis: Ergo si, non obstante clausula ipso facto incurrenda, adhuc requiritur sententia declaratoria iudicis, frustra apponitur in lege pœnali dicta clausula ipso facto incurrenda. Respondetur negando consequentiam, quia talis clausula denotat quod post iudicis declarationem de commissa culpa, seu delicto, non requiratur alia sententia condemnatoria circa pœnam subeundam, sed tunc ipso facto debere delinquentem subire eam, quæ in lege ipso jure designata est. Sic Mendo, verb. Lex, n. 32; Felix Potestas, tom. I, part. 1, n. 180, doctores omnes supra citati.

(44. Urgebis: Ergo saltem superflua erit illa addita absque alia declaratione. Respondetur negando consequentiam, quia, ut dictum est supra n. 39, talis et similis clausula intelligenda est de declaratione, qua declaretur pœnam esse incursum, non autem de declaratione, qua declaretur crimen esse commissum. Unde quamvis talis et similis clausula videatur superflua quoad declarationem incursum pœnæ, non est tamen superflua quoad declarationem commissæ culpæ, seu dilecti, cui a jure imposita est talis pœna. Sic doctores citati d. n. 39. Vide Nicolium in *Flosculis*, verb. Pœna, n. 14, ubi dicit hanc opinionem probasse Sac. Congr. episcop. et regul. 5 Octobr. 1846, et 26 Novembr. 1649.

(45.* Legi episcopali, vel synodali non tenentur illi, qui in diœcesi quidem degunt, sed extra diœcesim abeunt mox redituri, si interim extra fines diœceseos aliquid agunt contra illam legem, quia lex per se, et immediate territorium respicit. Verum si quis e diœcesi se absentet animo declinandi synodale statutum, fraudem illi patrociniū præstare non est æquum; quare tunc peccat contra eandem legem; ita Clemens V in constitut. incip. *Superna*, edixit poenitentes recedentes e territorio in fraudem non esse absolvendos a reservatis sui territorii. Benedict. XIV, *De synod. diœces.*, lib. XIII, cap. 4, § 9 et 10.

(46. Lex ab episcopo lata extra synodum, audito tamen consilio capitulari, longe probabilius perseverat etiam post obitum ejusdem episcopi: neque enim habet quid diversum a lege in synodo lata, quam etiam, defuncto episcopo, perseverare satis constat. *Ibidem*, lib. XIII, cap. 5, § 1. (47. Lex synodalis, si non acceptetur a populo, quamvis peccant non acceptantes, tamen si id sciat superior post paucos actus ab eo neglectos, et

non punitos, ligare desinit ex quadam ejus convenientia *Ibidem*, lib. XIII, cap. 5, § 3.

(48. Si vero id nesciat episcopus, tunc decennium sufficere censetur; hoc enim sufficit ut consuetudo longi temporis dicatur. *Ib.*, § 4.

(49. Si vero jam acceptata sit, præscriptio contra illam inducitur per decennium, neque enim agitur de præscriptione, qua ali- quod jus proprietatis ab Ecclesia auferatur, quæ præscriptio annos quadraginta exigit. Requiritur tamen ut a majori communitatis parte libere sit inducta, continuus actibus frequentata, animo legem tollendi, et adsit consensus legislatoris juridicus saltem, et legalis, qualem scilicet leges requirunt. *Ib.*, lib. XIII, c. 5, § 5.

(50. Lex synodi diœcesanæ obligans totam provinciam, si obtinuerit confirmationem a Sede Apostolica in forma communi, ut plerumque fit, quæque his verbis concipi solet: « Si juste, canonicè ac provide facta sint, et dummodo sacris canonibus concilii Tridentini decretis, et constitutionibus apostolicis non adversentur; » tunc utique abrogari ab episcopo potest, cum maneat lex ejusdem tantummodo. Si vero confirmatio fiat in forma specifica cum causæ cognitione, singulis statutis expensis, et in confirmatione addatur ex motu proprio, atque ex certa scientia, tunc utique fit lex pontificis, in qua episcopus dispensare non potest. *Ibid.*, lib. XIII, c. 5, § 11.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(51. De lege nova a Summo Pontifice promulgata, utrum ea obliget statim, an post duos a promulgatione menses, juxta Authent. *Ut factæ novæ constitutiones*, quæri solet.

(52. Negant communiter doctores apud Sell. *De legib.*, part. I, § 1, n. 47. « Pontifex (ait laudatus auctor loco mox citato) in modo ferendi legem suam, et obligationem inducendi non acceptavit authent. *Ut novæ constitutiones*, quoad primam partem, scilicet quoad publicationem faciendam in qualibet provincia, ut supra ostendimus. Ergo, nec quoad secundam, nempe duarum mensium, quia hæc acceptatio, neque aliquo textu juris canonici, quo Pontifices declarent velle se adhibere leges civiles pro modo ferendi, vel obligandi Ecclesiam per suas leges, neque probatur consuetudine, ut fidem suam interponunt graves auctores, et specialiter Vasquez, etc. Et Navarrus, etc., docet, de consuetudine, et stylo in Urbe servari, ut constitutionum apostolicarum transgressores, ante duos menses a promulgatione puniantur, non solum qui probantur scivisse promulgationem, sed etiam qui non potuit illam ignorasse. Quod autem hanc consuetudinem aliqui Navarrum secuti restringendam putent ad forum tantum exterius, et urbicolos, seu incolas Romæ, profecto tanquam naturæ repugnans probari non potest. Ecclesia enim non punit, nisi propter delictum, aut verum, aut præsumptum. Sed neutrum adesset hoc casu. Non verum, quia, ubi non datur vera

transgressio legis, non potest dari verum delictum; sed antequam obliget lex, non datur vera transgressio. Ergo. Sed neque præsumptum invenitur delictum; nam certo ponitur non constare, nondum esse elapsum tempus duorum mensium. Ergo si sciens legem judicatur ut transgressor, ex nulla præsumptione judicatur, sed ex certa probatione delicti. Unde consuetudo ita transgressores puniendi, aperte supponit legem obligare Romæ ante duos menses, quæ suppositio, utpote in voluntate Pontificis modum, et stylum curiæ Romanæ utique non ignorantis fundatur. Altera vero restrictio facta ad urbicolos, quæ asseritur a Navarro non impliciter, sed sub particula *Fortè*, non probatur, neque apparet Suario esse verisimilis, nec immerito, opinionem si hanc rite ponderemus. »

(53. Negativæ huic opinioni standum et ego censeo, unice motus consuetudine illa puniendi transgressores novæ legis pontificiæ ante duos menses. (54. Caterum, seposita hac consuetudine, lex nova pontificia, uti et lex nova civilis, non obligaret, nisi post duos menses a promulgatione; idque quia jus canonicum, ubi contrarium aperte haud decernit, imitari proficitur jus civile. Et obligare statim debet lex Pontificia nova, non solum incolas urbis, sed et alios, ad quos ipsius notitia pervenerit.

ADDITIONES CASINENSES.

Circa obligationem legis humanæ servandæ de qua disserit auctor, sub. n. 24 et seqq. hæc addere placet.

Ac primum « Leges humanæ, cum ecclesiasticæ, tum civiles, non obligant ut plurimum cum vitæ aut incommodi gravissimi periculo. Neque enim lex ipsa naturalis (exceptis iis præceptis, quæ prohibendi rem per se malam habent), neque lex divina positiva semper obligat cum vitæ periculo, cum tamen majorem obligandi vim habeant quam leges humanæ: lex enim de reddendo deposito non obligat eum cui ex eleemosyna graviter indigenti eroganda non obligat eum qui fame conficiendus est, si panem unicum, quem habet, alteri tribuat... Leges etiam divinas positivas cum vitæ periculo non semper obligare, certum est. Nam Davidem panes propositionis, urgente necessitate, innoxie comedis: Machabæos Sabbato pugnasse in violata lege de sanctificatione Sabbati, res est ex Scripturis sacris comperta et explorata. Pari ratione dixerimus neminem ad audiendum Sacrum festis diebus, ad jejuniū ecclesiasticum servandum, ad horas canonicas recitandas, ad vitandum excommunicatos, et similia, cum periculo vitæ, vel alterius incommodi gravissimi, passim, et semper obligari. » Natalis Alex. *Theol. dogmat. moral.*, lib. IV *De Decalogo*, art. 3., regul. 14.

(56. « Quando (vero) legis observatio est moraliter necessaria ad publicum bonum conservandum, tunc lex humana potest obligare cum aperto vitæ periculo... estque

communis. Ratio est quia conservatio boni communis omnino est preferenda bono vitæ privati hominis: ergo in tali casu necessitatis potest superior, cui ex officio incumbit providere bono communi, obligare subditum ad observantiam legis cum periculo vitæ. Sic in primis communiter admittitur teneri militem tempore periculoso permanere in statione sua cum aperto mortis discrimine. Similiter tempore pestis tenetur parochus, tum vi sui officii, tum præsertim accedente speciali præcepto episcopi, permanere in suo loco ad excipiendas pestiferorum confessiones, non obstante manifesto vitæ periculo: idem accidere potest in aliis similibus casibus.

(57. Pari modo « quando violatio legis humanæ cederet in contemptum fidei, aut ecclesiasticæ legis, vel potestatis, tunc lex est servanda, etiam cum periculo vitæ. Ita Herinx cum omnibus catholicis doctoribus. Sic si quis ab hæreticis captus, urgeatur ad comedendum carnes tempore Quadragesimæ in contemptum ecclesiasticæ legis, illic hæretici minitentur mortem, nisi carnes comedat, potius ei moriendum foret, quam ut in talibus circumstantiis carnes comederet. Ratio est quia violatio legis ecclesiasticæ in talibus circumstantiis cederet in contemptum fidei catholicæ potestatisque ecclesiasticæ, et comedens carnes ad talem hæreticorum instantiam, eorum sectam exterius profiteretur ac metu mortis ipso opere contemneret potestatem Ecclesiæ: hoc autem nullo modo licet, sed est intrinsece malum. Unde tali potius esse subeunda mors, quam si quis ex præfata causa oppeteret; revera foret martyr, cum moreretur ob confessionem fidei catholicæ, qua credimus Ecclesiam a Christo accepisse potestatem certas leges fidelibus imponendi. » Reiffenstuel, *Theol. mor. De obligat. legum human.*, quæst. 3, n. 23, concl. 2 et 3 (3).

(58. Quæritur an in dubio si lex existat, lex obliget? Respondetur minime obligare postadhibitam sufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem, præciso tamen scandalo, vel alio notabili inconvenienti, quia tunc possidet libertas. Ita communiter Suarez, tom. V, in p. III, d. 40, sect. 5, n. 15; Sanch., *Dec.*, lib. 1, cap. 10, n. 32 et 33; Pal., tr. 1, d. 3, p. 7, n. 1; Salm., *De leg.*, cap. 2, n. 110, cum Tap., Vill., Arav., etc. Id expresse confirmant D. Th. qu. 17, *De verit.*, art. 3, ubi: « Nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti. » Scotus in 4, d. 3, q. 4: « Nullus tenetur ad aliquod præceptum divinum, nisi per aliquem idoneum, et authenticum sibi promulgetur. » Item *Glossa in c. Cum sunt, De reg.*, in 6.

(3) Quamvis, juxta multos, liceat catholico transire per loca hæreticorum, comedere carnes die alias vetito, ne si abstineat, prodatur se Catholicum, et ideo de vita periclitetur, eo quod præceptum Ecclesiæ non obligat cum tanto damno; tamen si quis ab hæretico cogatur ad comedendas carnes die vetito, ut ostenderet hoc facto se despicere ecclesiasticam legem, seu potestatem, tene-

In dubio nullum præsumi obligatum, ex Authent. *Quibus modis*. Item *Glossa* in cap. *Ex parte de cens.*: « In dubio liberum est sequi quod magis placuerit. » Item N. SS. Bened. XIV, notif. 13, ibi: « Non si debono porre legami, quando non ve una chiara legge, che gl'imponga. » Id clare probatur ex cap. *Erit*, dist. 4, ubi S. Isidorus sic ait: *Erit autem lex manifesta*. Item ex c. *Cum jure 31, De off. et pot. jud. del.*, ibi: « Nisi de mandato certus exstiteris, exsequi non cogaris quod mandatur. » Item in cap. fin. *De transact.* « In his vero, ubi jus non invenitur expressum, procedas æquitate servata, semper in humaniorem partem declinando. » Item S. Leo in cap. *Sicut quedam*, dist. 14, sic docuit: « In his quæ vel dubia fuerint, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum invenitur adversum. » Item Lactantius in lib. III *Instit.*, cap. 21, dixit: « Stultissimi est hominis, præceptis eorum velle parere, quæ utrum vera aut falsa sint dubitatur. » Ratio est quia Deus sane donavit homini dominium libertatis, ex Apostolo (1 Cor. VII, 37): *Potestatem autem habens suæ voluntatis*. Et ex *Ecclesiastico* (xv, 14): *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te*. Quamobrem possidet homo libertatem ad agendum quidquid vult, quod non constet a lege sibi vetitum, ut ait D. Th. (in 4, d. 15, q. 2, a 4 ad 2 et q.) « Illud dicitur licitum quod nulla lege prohibetur, » ex l. *Necnon*, ff. *Ex quib. caus. maj.* ubi: « Omnia sunt permissa per legem, quæ prohibita non inveniuntur. » Hinc Melchior Canus (in Relect. 4, *De panit.*, part. IV, q. 2, prop. 3, n. 5) sic impugnat sententiam Scoti, et aliorum, qui volunt peccatores teneri ad actum contritionis in quolibet die festivo: « Quoniam (ait Canus) ignoro unde ad hanc opinionem DD. illi venerint, libere possum quod non satis explore præceptum est, negare. » Ac propterea D. Th. quodl. 9, art. 15, dixit: « Periculosum est (determinare aliquid esse peccatum mortale) ubi veritas ambigua est, nempe si in jure divino non invenitur determinata expresse. » Et D. Antoninus part. II, tit. 1, c. 11, ait bene excusari ignorantiam, utpote invincibilem, « quantum ad ea quæ non sunt expresse contra jus divinum, vel naturale. »

Et idem dicendum cum Salm., dicto n. 110, et aliis, si dubitetur, an aliquid comprehendatur sub lege: seu an lex extendatur ad aliquid. Item in dubio, an inceperit

retur subire mortem potius quam comedere. Nec excusaretur, etsi declararet se non comedere carnes in contemptum Ecclesiæ, sed propter necessitatem ad vitandam mortem; nam tunc adhuc esset contemptus externus legis, qui semper est intrinsece malus. Delugo apud Antoine, *Theol. mor. de legibus*, cap. 2, quæst. 5.

legis obligatio; secus autem in dubio, an finierit. Salm., *ibid.*, n. 120, cum Laym., Sanch., Pal. D. Ligorio, cap. 1, *De natura et obligat. legis*, dub. 1, n. 97. » Ita D. de Ligorio, *Theol. moral., De natur. et obligat. legis*, n. 97.

(59. « Quid in dubio an causa quam habes, sit sufficiens ad te excusandum a lege? Quidquid dicat Salas, verius est teneri ad legem; quia tunc possidet lex antecedenter ad tuam libertatem. Salm., *ibid.*, n. 112, cum Sanchez, Pal., etc. » D. de Ligorio, *loc. et n. cit.*

(60. « Quid in dubio an lex sit promulgata? Legem non obligare tenent Dicast. apud La Croix, *ib.*, n. 590. et Salm., *ib.*, cap. 2, n. 110. Excipit tamen La Croix, si lex fuerit jam usu recepta. » D. de Ligorio, *eod.*

(61. « Quid in dubio an lex usu recepta sit? Adsunt tres sententiæ.

Prima sententia tenet tunc legem non obligare, saltem si sit pœnalis, ut Azor., tom. I, lib. II, cap. 19, q. 12; Salas D. un., n. 169, et Dian. Tap., etc., apud Salm., *De leg.*, cap. 2, num. 113. Et universaliter de omni lege hoc tenent Nav., Rebell., Felin., Dec., etc., apud Pal., *De consc.*, disp. 3, part. VII, n. 4, et probabile putant ipse Pal. Sporer *De consc.*, cap. 1, n. 81, ac Tamb. *De consc.*, cap. 3, § 7, verb. *Legis*. Ratio quia tunc, cum dubitetur de receptione legis, dubitatur etiam an lex unquam obligaverit; et ideo possidet libertas...

Secunda sententia, quam tenet La Croix, lib. I, n. 591, dicit legem obligare, si sit ecclesiastica; secus vero, si sit civilis.

Tertia tamen sententia sequenda affirmat legem obligare. Et hanc tenent Pal. *loc. cit.*, n. 3; Sanch., *Dec.*, lib. I, cap. 11, et Salm., *loc. cit.*, n. 114. Ratio 1 quia, cum constet de lege, pro ea stat possessio. Regula enim generalis est, ut factum præsumatur, quod de jure faciendum erat, prout hic præsumitur facta acceptatio. Ratio 2 quia lex, cum jam lata et promulgata fuerit, non indiget acceptatione... Saltem, ut recte dicunt La Croix, lib. I, n. 591, et Mazzot., cap. 6, quæst. 6, lex, modo non sit certe abrogata... jam habet vim obligandi; unde, licet quis non peccet contra legem, quia ipsa nondum est recepta, peccat tamen, quia eam non acceptat... » D. de Ligorio, *ibid.*, n. 98.

(62. « Quid in dubio an lex præcipiat, vel suadeat? Aut an obliget sub gravi, vel levi? Resp. tunc legem, aut non obligare, aut non obligare sub gravi, ex regula juris 59, ff. *De regulis jur.* « Semper in dubiis benigniora sunt præferenda. » Ita La Croix, n. 596, cum Nav., Sanch. et contra Laym. » D. de Ligorio, *ib.*, n. 99.

(63. « Quid in dubio an advenerit, vel præterierit tempus obligationis legis? Resp. In dubio inceptionis, v. g. an expleveris annos 21, non teneris ad jejunium, quia tunc possessio est pro libertate; secus in dubio præteritionis, v. gr. an in sabbato transacta sit hora mediæ noctis, nequis edere carnes, tunc enim possidet lex. Sic etiam si dubitas an habeas annos 16, ad

professionem, vel an. 25 ad sacerdotium, nequis profiteri, aut ordinari. Ita communiter Laym., lib. I, tr. 1, cap. 5, § 4; Sanch., *De matr.*, lib. II, d. 41, n. 4, et *Dec.*, lib. I, c. 10, n. 38; Pal., tract. 1, d. 3, part. VIII, a n. 6; et Sal., c. 2, n. 120, cum Tapia, Diana et Villal. Quid in dubio an legem impleveris? In dubio negativo teneris implere; secus, in positivo. Carden. et Ills. cum La Croix, lib. I, n. 600: » D. de Ligorio, n. cit.

(64. Atque ut specialim aliqua dicamus de obligat. legis, sive de ejus implemento ex debito conscientie, « ante omnia notandum quod alia est lex pure pœnalis, quæ nullum dat præceptum: v. g. qui hoc fecerit, solvat pœnam; et hæc non obligat in conscientia, etiamsi pœna sit gravissima... Hinc leges oppidorum prohibentes sub pœna cætionem lignorum sive herbarum, piscationem, venationem, non obligant sub culpa; sic enim habet consuetudo...

(65. « Alia est lex non pure pœnalis, seu mixta, quæ præcipit et pœnam imponit: v. g. Nemo hoc faciat sub pœna, etc. (Hisce positis.)

« Omnes leges sub pœna excommunicationis lætæ sententiæ obligant graviter. Est commune... » D. de Ligor., l. cit., dub. 4, n. 145.

(66. « Quæritur an obliget sub gravi lex, quæ præcipit sub pœna suspensionis, interdicti, vel irregularitatis? Negant obligare sub gravi, cum ista possint incurri sine peccato gravi, Cajet. Val. Salom. apud Salmat. Contraducunt tamen Salmaticenses, tam quoad irregularitatem cum Sanchez, Pal. Tan., etc., quam quoad interdictum et suspensionem, si sint majores, prout suspensio ab officio, vel beneficio ad longum tempus, et interdictum ad omnem usum, quæ dicunt non posse incurri sine peccato gravi. Ita Salm., etc... Et idem dicunt de aliis pœnis spiritualibus gravissimis. » D. de Ligorio, *ib.*, n. 146.

(67. « Quid si tales pœnæ sint ferendæ sententiæ, an obligent sub gravi? Alii affirmant: alii probabilius negant, ut Salmat... Nisi dicatur quod censura incurritur sine ulla monitione: vel nisi de se materia sit gravis. » D. de Ligorio, *eod.*

(68. « Quæritur an leges assignantes pœnam temporalem, et simul præcipientes, obligent ad culpam, an solum ad pœnam? *Prima* sententia negat, nisi ipsa lex exprimat, velle obligare etiam ad culpam. Ita Nav. Man., c. 23, n. 55 et 60, ubi ait: « Leges humanæ, etiam præcipientes, quæ pœnam temporalem constituunt, in dubio ad æternam non obligant, quatenus sunt leges ejus qui pœnam statuit. » Ita etiam Cajet. in Summ., v. *Clericus*, § *Verum*. Item Mencada, Gomez, Imola ap. Salm., *De leg.*, c. 2, n. 47, et probabilem *ibid.* vocant Val. Bon. Dian. Tap. ac Vill. et, loquendo de lege civ. probabilem etiam putat Mazzot., *De leg.* q. 2, c. 1, cum Fill. Ratio quia, licet principes bene possint obligare, tam ad pœnam, quam ad culpam, tamen cum non sint imponenda